


TRESPONSVM,
pro admodum Illustri domino
D. Ioanne de Fassis.

AUTHORE, FRANCISCO DE
CALDAS, PEREYRA, I.C. LVSITANO:

Res 1758

Casus.



N hidalgo Castellano, criado de su Magestad, que vi no de Castilla con el Rey nuestro Señor, cō su muger y casa, y estuuo y viuio en Portugal, y en esta ciudad de Lisboa, todo el tiēpo, que estuuo su Magestad en este Reyno, sirviendo a su M. en su cargo y officio, y auiendo mas de vn año q̄ estaua y viuia en Lisboa, le nacio vn hijo, que se baptizo en vna de las perochias desta ciudad, y soorio en ella, hasta que su Magestad se fue a Castilla, y porque pretēde q̄ su M. le haga merced de cierto officio de su casa y Corte, en este Reyno de Portugal, para el dicho su hijo, se pregūta, Si su M. le puede hazer merced del tal officio, sin contrauenir a la forma del juramento que hizo en fauor deste reyno, y naturales del, y si por auerse engendrado y nacido encl. es, y ha de ser reputado por natural, y capaz de gozar delas preeminencias, y prerogatiwas y officios, que los naturales del gozan, y podra obtener el tal officio, siendo su Magestad servido de hazerle merced del.



RÆMISSA facti specie, de qua suprà, videtur casus præsentis consultationis sanè difficilis, & eius decisio: quæ altiorem requirit indaginē. Et in eo versari quæstio videtur, an Hispani filius, qui cōceptus, & natus est in hoc Regno Lusitaniae (eo tēpore, quo potenterissimus ac Christianissimus Philippus Rex noster, Vlyssippone cōmorabatur) Lusitanus censendus sit, & tāquām originarius huius Regni Lusitanie habeatur, quoad priuilegia, & alias prerogatiwas Naturalib⁹ indultas, an verò Hispanus, seu Castellanus, tanquām ex Hispanis parétitibus ortus, propter brevē Catholicæ Maiestatis discessum, & remigrationē. Itē, habito pro constanti, q̄ sit originarius huius Regni, an Catholica Maiestas, posuit citra periurij labē, & absq; violatione iurisiurandi præstiti, in Comitiis publicè celebratis, pro obseruatione Capitulorum, in fauorē istius Regni, & eius Naturalium, in illū, tāquām in indigenā, seu naturalē, officium, seu militiam domus suæ Augustæ conferre.

Et primò, vt procedamus per cōtraria, more cōsulentium, videtur, quod huius modi filius Lusitanus nō sit, sed parentū, qui ex Castella sunt oriundi, originē se-

A quatuor

RESPONSVM REDDITVM

quatur, nam indigenā, seu municipē alicuius loci, natiuitas, & origo, paterna facit, l. i. ff. ad municip. ibi: *Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est: tex. etiam, in l. assumptio.* §. filius, ff. eodem, ibi: *Filius ciuitatem, ex qua pater eius, natu ralem originem ducit, non domicilium sequitur.* Cum ergo iste filius ex duobus parentibus Hispanis, seu Castellanis sit ortus, Hispanus est, non Lusitanus.

2 Secundò vrget pro hac sententia, ea cōsideratio, si cum iudicio perpēdamus, in proposita specie, parentes istos, non animo mutādi domiciliū propriū, sed desti natione illicē reuertendi in Regnum Castellæ, & sic ad tēpus Vlyssippone domi cilū cōstituisse. Quocirca filius interim natus, in Lusitania, Lusitanus nō est, nec cuius Vlyssipponensis est, sed parentē conditionē sequitur, neq; inspicitur locus originis, & natiuitatis, sed ille vnde parentes eius profecti sunt. Allego ad id tex tum elegantem, in l. Huiusmodi, §. legatum, ff. delegatis, l. vbi si quis legauit fundum Cornelianū, & mancipia, quæ in eo fundo sua erant, Titio, eiq; dare, hæc dem grauauit, respondet Iureconsultus Julianus, ancillā, quæ in eo fundo esse cōsueuerat, quæ mortis tēpore aufugerat, & alibi filiū enixa est, non solū ipsam, sed etiā eius partum, legato cedere, ac legatā videti, ac perinde haberī, ac si in eo fundo fuisset, vnde recessit moriēte patre familias, ibiq; peperisset, & in eo loco partus fuisset editus, non alibi. Per quē tex, ibi Paulus Castrēsis, n. 3. inquit, quod partus ibi fingitur esse, editus, vbi fingitur esse mater, licet casualiter mater alibi sit, inferens ad statuta, quæ non nisi ciues originarios, ad aliquē honorem, vel dignitatē admittunt, nam si mater casualiter absit, & ibi pariat, certè partus in ciuitate natus fingitur, vbi mater fingitur esse, l. nihil, ff. de captiuis, & postlim. reuers. ibi. Ita tamen, si ea mente venerit, vt non illō reuerreretur. Nec enim satis est, corpore domum, quem redijisse, si mente alienus est. Ex quo subdit, ibi Paulus, filium natū, non esse ciuem originarium loci, vbi nascitur, ex quo ibi mater non erat perpetuō mansura, sed ad tempus destinatione reuertendi, in naturalē originis locum, q̄ tradit Battō. in l. filios, C. de municip. & originar. lib. 10. sequitur Rebuff. in l. 2. incip. vrbis appellatio. ff. de verb. sign. col. 7. vers. Secundò non procedit. fol. 27. vbi inquit, quod si quis tempore belli natus, inter transiundū, Aurelia, ex muliere Parisiensi fuerit, is Parisiensis ciuis dicetur. Non enim potest, ciuis, illius ciuitatis, in qua nascitur, appellari, quia oportet, quod parentes constituant domiciliū, antequam ciuis propriè dici possit. Paul. Castr. & alij, in d. l. huiusmodi, §. legatum,

3 Vnde in consilio Neapolitano decisum fuit Marchionissam Padulæ, quæ fuc rat orta Auellini, & educata in ciuitate Cusentia, nihilo minus esse Neapolitanā, quoniā parentes erāt Neapoli oriundi, & licet ipsa Auellini fuerit nata, & genita, tamen ibidē parentes eius ad tēpus habitauerant, non animo ibidē incolatum faciendi, aut cōmorandi, sed destinatione Neapolim redeundi, vbi domiciliū prius constituerant. Ita Tho. Gramm. decis. 103. n. IIII. vbi pro hac sententia allegat Bar. in d. l. filios, & text. in l. i. C. de captiu. & postlim. reuers. ibi: *Ex duabus captiuis nata, patris originem ita secuta videtur, si ambo parentes in ciuitatem nostram redijissent, & hanc opinionē expressè firmat Ioannes de Platea, d. l. filios.* Sequitur Grāmaticus, d. decis. 103. num. II. Ratio est, quoniam mater, quæ animū reuertendi habebat, fingitur semper fuisse in ciuitate, vt in l. i. & l. retrō creditur, ff. de capti. & postlim. reuers. & sic fingitur peperisse in ciuitate, vnde recessit, tradūt Panorm. & Fely. in c. Rodulphus, de rescrip. Ripa, in tract. de peste, 2. parte, in 8. priu. Rebuffus, in cōcordatis, Rub. de collat. in §. cum verò, verbò, Natus, versi. nisi alibi, pag. 386. Quamobrem, propter hanc natiuitatē, filius in ciuitate, vbi verè natus fuit, oneribus nō obligatur, nec ad munera Republicæ, vel honores vocatur, cum ibi parentes fuerint ad tēpus, vt in l. i. & ibi Bart. ff. de capti. & postlim. reuers. sequitur Abb. in d. c. Rodulphus, & ibi Fely. vbi asterit hoc fuisse practicatū, in eius persona. Cum enim

PRO ADMOD. ILLVSTRI MD. IOAN. DE TASSIS.

et utriusque parentis origo ex Ferraria urbe esset, casu in Felyna, oppido Rhei. si natus est, & nihilo minus fuit receptus in collegium, non obstat statuto Ferrariensi, quod non nisi originarios, & indigenas Ferrariae admitit, & eandem opinionem tenuit Lachelotus, Decius, in l. Hæres absens, §. proinde, ff. de iudicis, ubi subdit, hanc esse communem opinionem, secundum August. de Arimin. in d. §. legatum & eandem opinionem sequitur Ripa, in tract. de Peste. 2. parte, versi. 18. & Jacobyn. de Sancto Georgio, in d. l. Hæres absens, §. si quis tutelā, n. 35. & Iaso. consil. 117. Placet supra scripta, vol. 3. & Boerius, decil. 13. num. 52.

4 Facit etiam in confirmatione, quod tradit Bartol. consil. 173 incip. Inchoado, dubia occurrentia, col. 2. versi. Quartum dubium. Vbi inquit, quod licet filius rustici habitantis in districtu ciuitatis, natus fuerit in ciuitate, non dicitur, per hoc ciuius originarius. Quoniam ex eo quod natus est ex patre rustico, & comitatensi, censesetur adscriptitus, & patris sequitur conditione, & non atteditur origo nativitatis allegat tex. cū glo. in l. cū scimus, ad fi. versi. in omnibus itaq., & ibi verbo, Nati, & idem dicit glo. in l. fi. C. de agricol. & censit. lib. 11. & ita etiam consuluit Baldus, consil. 294. incip. ista causa, per tot. vol. 4. sequitur Rebuff. in l. vrbis appellatio. ff. de verbis signification. versi. Secundum non procedit, fol. 27. idem tradit Ioannes Faber. in prin. instit. de ingen. & manimis. Boer. decil. 13. n. 49. Inferens contra Aurelianenses, qui quando volunt filios doctores fieri, in ciuitate, in qua oriundi non doctrantur, faciunt, vxores, pregnantes, exire e ciuitate, & ibi parere: idem Bart. & Salyetus, in l. si quis, per illum tex. C. de natur. liber. ad idem tex. in l. qui ex vico. ff. ad municipal. vbi glo. exemplum ponit, in Virgilio Mantuano, qui ex vico eius Pactolo fuerit ortus.

5 Vrget etiam, quoniam originarius, seu indigena, non dicitur eius loci, in quo quis est, natus transundo, quod tradunt DD. supra allegati, & probat tex. in l. ciues. C. de incol. lib. 10. ibi: Vnde animis projectus est, perigrinari videtur, tradit Bart. d. l. filios, & Afflictus, decil. 384. non ponam, n. 4. Abb. in c. Rodulphus, de rescript. & ibi Barbatia, n. 97. & consil. 52. n. 1. vol. 2. Bald. Ange. & Alber. Paul. post Cynum, & Petru. & Nicol. de Neapol. in l. huiusmodi, §. legatum, ff. de leg. 1. & ad idem text. in l. Titius, ff. de actio. empti.

6 Sed in proposita specie, praedictis non obstantibus, contrariam sententiam ve riorem esse existimo, imò, quod huiusmodi filius, sit vere Lusitanus, & indigena, seu naturalis, & originarius istius Regni, & capax omnium priuilegorum Lusitanis concessorum. Et moueor primò, ad id, ex verbis Capitulationum, & Priuilegiorum, quae in curijs, seu comicijs, denuò celebratis, Catholica Maiestas, Concedio alos Portugeses, y naturales deste Reyno, &c. Vnde, qualitas illa naturalitatis, inspecta proprietate, tantum considerari potest, in eo qui in Regno Lusitaniae genitus & natus est, licet post modum in alium locum, domicilium, & incolatum trasferat. Nam natus in ciuitate aliqua, sortitur ibi ciuitatem, & acquirit eam, vt voluerunt Imola, Paulus Castr. in lect. Paduana, & Alex. in l. huiusmodi, §. legatum, ff. de leg. 1. Fely. in c. Rodolphus, de rescript. concl. 5. tradit Tho. Gram. voto. 10. n. 14. Et ultra ciuitatem paternam, consequitur quis ciuitatem ex origine propria, vt tradit Raphael, in l. Cœtera, §. fi. ff. de leg. 1. subdens se ita consuluisse, ac eandem sententiam tenuisse Christoph. de Castellio. pertex. in l. assumptio. ff. de ad municip. idem etiam refert & sequitur Ludoui. Bologn. in repet. extrauag. Theodos. ii. par. versi. naturalia suos ciues: vbi dicit, quod quis sit ciuis vbi ortus est, & tradit Gram. d. voto. 10. n. 15. vbi inquit, quod propter nativitatem est veritas: vnde potentior est, ciuitas originis, quamquælibet alia, l. origine, C. de municip. & originarijs, lib. 10. & sic ciuitas originaria dicitur vera ciuitas, & efficacior, & ideo præfertur cuicunq; alij ciuitati, quod consulendo tradit Tho. Gram. consil. ciuili. 5. n. 3. & tradit glos.

in h[ab]assumptio ff. ad municip. & in l. ciues. C. de incol. lib. 10. & consuluit Alex. cōs. 34. vol. 5. Ecce vbi verba possunt naturaliter, & ciuiliter intelligi, certe debent naturaliter intelligi, l. si. C. de his qui veni. et. impetravet cap. suscepsum, de re script. in 6. & consuluit Alex. consi. 4. vol. 4. Vnde, cum ceterae ciuitates, sint facta, & non vere naturales, prout est ciuitas originis, quae naturalis est, cōseques est, ius in modi priuilegia, seu capitula Lusitanis, seu naturalibus Rēgii Lusitaniae cōcel sa, in casu vero, non facta fore intelligenda. Quonia in dubio dispositio hominis in casu vero prolatā, non vero facta accipienda est, l. ex eadem parte, §. in l. in l. cum ibi nōt. ff. de verb. obli. & voluit Bal. & Imola. in l. Gallus, in §. & quid si tam, ff. de liber. & posth. Imola, in l. §. lex Falcidia, ff. ad leg. Falci. maximē cum verba in dubio propriè accipienda sint, l. non alicet, ff. de leg. l. l. l. §. si is qui nauem, ff. de exercito. Et in propriis terminis tenuit Bald. in l. 3. §. h[ab]ec verba, ff. de negot. gest. vbi in specie dicit, quod statutum loquens de ciue, intelligitur de vero, & naturali ciue, & non de eo, qui ad ciuitatem receptus est, per priuilegium, vel alias, & cōsuluit Alex. de Imola, consi. 16. incip. An ille qui non possidet, vol. 5. & sequitur Ludouic. Bologn. in repet. Extrau. Theodos. verbo, Nec suos ciues, col. 4. II. par.

7. Et ita etiam in terminis, expressè consuluit Thom. Gram. consi ciuli §. incip. summi opificis, per totum, in causa cuiusdam Aloysij Alphonsi de Sylua Lusitani, cui Catholica Maiestas officium capitaneatus ciuitatis Capuæ, concesserat. Reluctabatur, in ea specie vniuersitas Capuæ, prætextu capituli Capuanis concessi. Quod nullus admittatur ad officium Capitanei Regij, qui non sit ciues, seu de ciuitate Capuæ, &c. Et consultus respondit, quod cum Capuæ natu non sit sed in Lusitania ortus, ciuis, seu naturalis Capuæ, dici non potest, nec verus municeps illius ciuitatis, ad officium, seu militiam ibi obtinendum, licet ibi vxorem duxerit, vel domicilium, per diuturnum tempus constituerit: quonia ex eo veram ciuitatem, originariam, de qua statutum intelligendum est, non consequitur. Verba namq; statuti, seu capituli prædicti, de vera ciuitate accipienda sunt, & sic cum effectu, l. l. §. h[ab]ec autem verba, ff. quod quisque iuris, & ibi glos. Atteditur igitur in his casibus ciuitas originis, seu naturalis origo, quae in dispositione statutaria, officiorū, seu dignitatum collationem respiciente veram tantum ciuitatem, seu naturalitatem, que per originem, & nativitatem contingit. Que originis ciuitas in tantum attenditur, & adeò naturaliter homini inheret, quis ei renunciare non potest, neq; se ab ea liberate voluntate expressa, vel tacita, alibi domiciliū constituendo tex. in l. origine, C. de municip. & originar. ibi: Origine propria neminem posse voluntate sua eximi manifestum est. Melior tex. in l. assump. ff. ad municip. Assumptio (inquit l. C.) originis, que non est, veritatem naturæ non perimit. Errore enim veritas originis non amittitur, neq; mendacio dicentis, se esse unde non sit, deponitur, nec recusando quis patriam, ex qua oriundus est, nec mentiendo de ea, quam non habet, veritatem mutare potest, & subdit ibi excellētissimus interpres Accursius, ut vel delinat esse, vnde est, vel incipiat esse, vnde non est. Probat etiam tex. in l. fin. C. de municip. & origin. vbi si quis ex aliqua ciuitate originē duxerit, si eandem euitare studeat, & ad alienā se ciuitatem, incolatus occasione contulerit, & super hoc vel preces dare tentauerit, vel qualibet fraude nisi, ut originem propriæ ciuitatis eludat, duarum ciuitatū decurionatus onera sustinet, in vna volūtatis, & in vna originis gratia. Et per prædicta iura cōsuluit Alex. consi. 34. incip. si venientes de nouo ad habitandum, col. 2. vol. 5. & sequitur Lud. Bologn. in repet. Extrau. Theod. II. parte, versi. natura suos ciues, & Thom. Gram. voto. 10. n. 16. vbi asserti ciuitatem originis, qualibet alia causata ex priuilegio esse potentiores, & ibi quoq; allegat Iosan. de Imola, consi. 35. incip. viget iam diu. Originaria enim causa, semper spectanda est, l. si id quod, ff. de donatio, l. tutor, ff. de fidei us. l. l. ff. de origi. iur. tradit nouissimè doctissimus Michael de Aguirre, in

PRO ADMOD. IL VSTRI D. IOAN DE TASSIS.

Apologia, de Successione Regni Portugallie, 2. par. n. 32. Etenim, initium, & origo, cuiuscunq; entis, tāquām radix fututi, temp̄ inspicitur. cap. i. §. ex eadē, de lego Corradi, l. 1. C de iunpon. lucrat. descript. lib. 10. Craueta, in respon. progenero. n. 33. Mantua. consi 22. n. 77. & nouissime doctissimus Alexander Rauden, in elegāti simo responso, de Successione Regni Portugallie, n. 17. Ex quibus omnibus, sū prā relatis, satis manifeste liquet, in proposita cōsultatione, hunc filiu esse verè Lusitanum, & vere naturalē, & indigenā istius Regni Portugalię, cum in eo qualitas conceptionis, & nativitatis concurrat, ac capitula Regni, quæ de naturalibus loquuntur, cum ex propria, & vera interpretatione comprehendant, & naturaliū priuilegia ad eum tanquam naturalem extendantur.

8. Et ne ambulemus per emendicata suffragia, hanc sententiam probat apud nos Ordin. Regia, lib. 2. tit. 21 in prin. quæ inter multos ciuitatis, seu naturalitatis modos, illi primū locum defert, quē naturalis origo tribuit, ibi: Vezinho se entende de cada huā cidade, villa, ou lugar, aquelle que della, ou de seu termo for natural, quod etiam cōpro bāsse videtur lex. i. tit. 20. Par. i. ibi: Esta es la primera naturaleza, e la mayor que los homens puedera auer en la tierra, en que han de viuir. Et paulò inferius. Con todo esso, por mayor suuieron los sabios antiguos, que fablaron en todas las cosas muy con razon, aquella naturaleza que de suo diximos, que los homes han con la tierra, por naceren en ella: cā esta les es assi como madre, de que salen al mundo, e vienen a ser homes. Vbi Gregor. Lop. obseruat, quod pri- ma, & præcipua naturalitas est, quæ natuitate acquiritur: vndē appellatione na- turalitatis, ista cōtinetur in dabo, & de ea intelligitur, l. hoc legatū, ff. deleg. 3. quia sumuntur verba in potiori significato. Perpendēta sunt illa verba, Natural, & Na- turae, quæ latē clare ostendut, cuiusq; in aliquo loco, cōceptionē, & genitū, originē, ac natuitatē. Ex quo natura dī ius insitū rei similia, de similib⁹ procreās, ita dicta, q; aliquid nasci faciat, sic summitur in l. ostentā, & de verb. sign. tradit Rebus, in L. eedictores, 15. n. eod. v. 1. 1. Natura. Inde elegāter Bal. in l. vni §. libertati, C. de eaduc. toll. inquit naturā appellari, cuiuscunq; rei primordiū, per quā vnaquodq; habet suum primū esse: lequitur Greg. Lop in l. i. tit. 24. Part. 4. glo. 1. Inde naturalitas, seu proprius natuitas, dicitur ipsa origo, seu ortus, qui facit naturalē, seu indigenā alicuius loci, vel municipē, vt tradit l. C. in l. i. ff. ad municip. ibi: Municipem, aut natuitas facit, quod explicat Rebū in l. Sylua cedula. 30. ff. de verb. sig. inde naturalē originē appellat l. C. in l. assumpcio. §. filius, ff. ad municip. ibi: Ciuitatem, ex qua paternā naturalem originem ducit. Ex quibus apparet, manifeste, quod cum verba Capitulorū, & priuilegiorū, quæ catholica Maiestas, liberaliter Regno Por- tugallię elargita est, ac lanxit referātur ad naturales Regni, prædictū filiu tanquam cōprehensum sub dispositione dictorū priuilegiorū, vt verū naturale, & originārium, gaudere quoq; priuilegiis, gratiis, & prærogatiis naturalibus cōcessis.

9. Nec obstat adducta in contrariū, scilicet, quod filius patris originē sequatur, nā illud procedit, quoad honores, & munera personalia, quā realia, si ibi aliqua bona possideat, l. fi. §. ijdē rescriperunt, mulierē iuncta glo. ff. ad municip. & l. in filiis, C. de decur. lib. 10. ibi: Quæ & necessitas non exigit, tamen patria non remittit. Et etiā quoad iudicia si ibi inueniatur, cōueniri, & subire iudiciū possit, glo. d. l. filius, quā ibi Bar. & Alberi. sequūtur Pau. Cast. in Auth. si verò contigetit, C. de in dicta vidu. toll. Azo. in Suina, C. de iurid. emn. iud. & ibi Gyn. in l. 2. n. 3. & ibi Bal. Anto. in c. acce- dens, in. 2. vt lite non contest. Ceterū licet filius, quoad prædicto estectus, pa- ternā quoq; retineat, & lequatur originē: non tamen idcō amittit, neque mutat propriā originē, vt illi nec expressē, nec tacite, renūciare possit, vt supra diximus per d. l. assumpcio. quod probat etiā Raph. Cum. conf. 177. col. 3. verii. nouissime, & l. 4. & l. priuilegio, & utrobiq; Odoct. & scribētes, C. de municip. & originatiis, lib. 10. Boet. decil. 13. nu. 3. Tho. Gram. Vog. 10. num. 16. Etiam si quis absens, per

mille annos steterit, semper suum retinet domiciliū originis, ut singulariter tradit Bar. in l. quæstū. in principio, per illum tex. ff. de leg. 3. & p̄r̄tex. in l. Seic. §. Paphil. ff. de fando instructō, tradit Marian Socci consi. 35. versi. quinto, volu. 1. idē tradit Boet. decit. 260. Abb. Sicul. consi. 62 in controvēria orta versi. de cōducitudine autē, vol. 2. & ita cōslulerut, loan. Andi. Richar. & Salyc. & Caldēri. consi. 109. repetita inuocatione, quod est inter consi. Alberti Bruni, & facit, quod notat Bald. conf. 343. Quidam Mediolanensis, vol. 3. Vnde, locus originis p̄ficitur loco domiciliū, notat glo. in l. ciues. C. de incol. lib. 10. per quem tx. Cynus, in l. 2 C. de iurisd. omni. iud. n. 3. ad si. afferit, quod ciuem facit origo, not etiā glo. in l. 1 C. de municip. & orig. lib. 10. & probat etiā tex. in l. libertus, §. p̄fcriptio. ff. ad municip. ibi: *Potior est originis causa.* Ex quo in proposita specie, licet parentes istius, in Regnū Castellæ reuersi fuerint, hoc tamen nihil obest, naturalitati, & origini filij, quoniā locus originis non perditur, licet quis ad aliū locum, trāferat domiciliū, l. 1. & l. originē, C. de municip. & orig. lib. 10. tradit exp̄ssē Ioannes Crot-
tus, in repet. l. 1. is qui pro emptore, ff. de usucapio. num. 99.

10. Ex quibus tolluntur cōtraria, quæ in proposita quæstione difficultatē ingerere videbātur, ut amplius dubitandū nō sit, p̄dictū filiū, verè naturalē esse istius Regni Lusitanie, & illius municipē, ac proindē cum habeat illā originis, & natuitatis, ab exordio suę cōceptionis qualitatē, debere gaudere omnibus gratiis & priuī legiis, indigenis, seu naturalibus concessis, licet vterq; parens Hispanus fuerit, & ex regno Castellæ oriundus. Quoniā cū fuerit conceptus, & natus Vlyssippone, certè locus originis, facit ad generationē, quēadmodū pater: sicq; loc⁹ originis est alter pater, l. ciues. C. de incol. & tradit Bal. consi. 294. versi. in cōtrariū. vol. 4. Vnde, qui Vlyssippone natus est, ciuius Vlyssipponēsis est, tx. in l. municipes, ff. de verb. sig. tradit Laurent. Syluan. consi. 1. n. 90. quod cōprobat Bal. in l. si verò speciali, C de testament. vbi inquit, quod illis proprie cōpetit, nomen patriæ, qui inde ducunt originē, idē Syluanus, d. consi. n. 96. vbi allegat tex. in l. sed, & reprobari, §. amplius ff. de excusat. tuto. & proptissimē illa dicitur patria alicuius, vbi ipse natus est, ut ibi per Sylua. Locus enim denotat originē, & ille propriè dī, esse de aliquo loco, qui est de illo, ratione originis, l. 1. & ibi not. Bal. ff. de tut. & curat. dat. ab his, Bal. in d. l. sed & reprobari, §. amplius, exp̄ssē idem Bald. in l. prouincialis, in fin. ff. de verb. sig. idē Bal. in Auth. vt oīo, C. ne vxor pro marito, Alex. consi. 150. viso thema-
to, n. 2. vol. 2. Pau. Cast. in l. si eadē, in fi ff. de assessoribus, Aret. Conf. 77. incip. & ra-
tio scribēdi, col. 1. DD in Rub. ff. sol. matr. Sylua. consi. 1. n. 99. Ex quo summa cum
ratione iurisprudētes, semper originē, in quacunq; re spectandā fore tradiderūt,
Itutor datus, ibi, non titulus actionis, ff. de fideiū. l. filius famil. in fi. C. ad Maced.
Dec. in l. quod ab initio, ff. de reg. iur. idē Deci. consi. 53. placet mihi, col. 1. versi sed
seundum. Quintilianus Mādōsius, in reg. 30. de verosimili. not. obit. q. 2. n. 2. Eamq;
immutabile esse, eiusq; iura naturalia dici, & immutabilitā frequētius receptū est,
Bal. in l. origine, C. de municip. & orig. lib. 10. l. pen. cum glo. ff. de Senato tradit Soc.
consi. 35 circa p̄dictam, n. 7. vol. 1. Affl. decit. 384. n. 2. & Quintil. Mandol. Regu.
16. de concurr. super benef. q. 39. num. 4.

11. Nec quicquā oblitat, quod iste filius, paulò post, tēpore quo Vlyssippone natus est, cū parentibus in Regnū Castellæ fuerit reuersus, ac proindē ciuitatē originariā amiserit, tum ex destinatione parentum, qui eo animo Vlyssippone domi-
ciliū cōstituerunt, ut pacatis rebus Lusitanie, cum catholica Maiestate euangelio
remearent, in Regnū Castellæ, quare, neq; incolatus, nec domiciliū, Vlyssippone
cōtraxerūt, l. est verū, & ibi not. Bal. C. de incol. lib. 10. tradit idē Bal. d. l. ciues. cod.
Vbi inquit, quod ad hoc vt contrahatur incolatus, quod animus debet esse fixus
in illo loco, nō in alio, & idē qui māsit, in aliquo loco, animo inde recedēdi non
dicatur

PRO ADMOD. ILLVNSTRI D. IOAN. DE TASSIS.

dicatur ibi contrahere, domiciliū, neq; incolatū, allegat Bal. tex. in l. ex facto, §. re
zū, ff. de hered. inst. sed dicatur aduena, q̄ expressè tradit Syluan. cōl. i. n. 94. cū seq.

Tum etiā ex persona sua, quia qui derelinquit propriā originē, & extra prouinciā suā & in aliā, quē non est subiecta eidē præsidi, se trāsfert, domiciliū ibi collo-
cando, ciuitatē originariā amittit, quod voluit glo. secundum vnā expositionē,
in l. in adoptionē, C. de adoptio & tenet Bal. in Auth. sed omnino, C. ne uxor pro
marito, & faciūt querit tradit Matth. de Af. l. decisiō 388. vnde si naturalis istius Regni
deseruit Regnū, & trāsferset se in regnum Fracię, ibi domiciliū constituendo, is
non poterit tanquam naturalis regni, obtinere beneficia in regno, quod obseruat
Gregor. Lopez. in l. 5. tit. 24. Pat. 4. verbo, Son quattro.

Qood licet aliquātulum vrgere videatur, nihil tñ obstat, ex his quē supra dixi.
mus, cum etiā, quia naturalitas propria, & originaria ciuitas, quē quacunq; alia
lōgē potentior est, non ab origine parentū dependet, sed per se solum cōsistit, &
attenditur, cum sit distincta, & oīo à paternā separata, licet aliquādo, ad ampliorē
filiī gratiā & beneficium, paternā originis, adminiculo vtatur, utrū magis filio ex-
pedierit, ad se iuuāndum, quoad officiorum, seu munera functionem ex patris
persona, & illam in diuersis ciuitatibus obcundā, & peragendam, tex. in l. placet,
& l. non vtique, ff. ad municip.

12 Item etiā in proposita specie, superiorē diluit difficultatē, tx. expressus, in l. Se-
natores, ff. de Senatoribus, ibi, Senatores licet in vrbe, domicilium habere videantur, tamen
ibī vnde oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur, quia dignitas domiciliij adiectionem po-
tius dedisse, quam permutasse videtur, per quē tx. vñ sopia cōtrouersia, & per illū dā no-
tant, quod domiciliū quod venit ex accidēti, nō mutat causam originis, q̄ probat
etiā l. & fi. C. de munic. & origina lib. io. vbi habetur, translationem domiciliij, de
loco originis, in aliū locū, vbi quis vult incolatum cōsiderere, nō tollere locum
originis, nec ciuitatē ex origine inducta, immo in vtroq; loco, munera reipublice
subeunda fore, & habilem esse ad officiorū publicorum functionem obeundā, q̄
etiā obseruat Greg. Lop. in l. 5. tit. 24. Part 4. l. rā b. Per quem tex' motus Bar. in l.
assumptio. §. i. ff. ad municip. reprobat Accursij ſniam, ibidem perperā opinantis,
in loco originis, post translationem domiciliij, quem munera non subire, neq; ho-
nores, & dignitates, nec officia perfungi. Nec obstat, l. filios, C. de munici. & orig.
lib. io. per quā glo. mouetur, nam vltra varios intellectus, quos ibi gloss. adducit,
ideo ibi filius apud originem patris, non in materna ciuitate, et si ibidē natus sit,
ad honores, seu munera potest cōpelli, quoniā erat, & procedebat ex persona cō-
ditionata, quē cōditio filiū vbiq; natū ad paternā retrahit originē, quod lati-
inferius explicabim⁹, & ita illū tx. intelligit Bal. consi 294 n. i. vers. & hoc vñ, vol. 4.

13 Vnde elegāter Petr. de Anchar. consl. 87. consuluit, quod quādo in eadē perso-
na cōcurrat locus originis, & locus domiciliij, potius inspiciatur q̄ sibi pdest, quā
quod nocet, qñ id quod prodest, esset fauorable, & non odiosum, sed secundu iūs
cōmune, vnde quoad cōmoda & fauorabilia, adhuc sibi remanet locus originis,
qui debet inspici per supradicta. Nec item obstat fortissimū contrariū, ex l. leg-
atum, §. huiusmodi, ff. de leg. i. quoniā licet aliqui autores, per illū tx. ibi teneant,
natū in aliqua ciuitate à casu, nō consequi ciuitatē, seu naturalitatē, in ea ciuitate,
quā quis ratione propriā originis cōsequeretur: nihilominus cōtra ſnia ab aliis
ijsq; grauissimi nominis autoribus crebrius recepta est, scilicet, quod quomodo-
cunq; quis nascatur, siue in trāfatu alicuius loci, seu nō animo ibi permanendi, ci-
uis originarius efficiatur illius loci, in quo nascitur. Quā ſnia vñ veriorem tenuit
Imola & Alex. in d. §. legatū, & ante eum Pau de Cast. in lectura Patadina. resol-
vens natū in loco, vbi mate non erat, etiā mansura retinere ibi origine propriā,
sequitur. ibi Raphquā etiā tuctur loan. Crot. in repet. l. si is qui p̄ eo emptore, nu-

